

hac ipsâ odiosâ pignoratione non graventur. *Mind. c. 49. n. 15.* & notat *Budæus ad l. aut facta. §. eventus. ff. de pœn. Gail. de pignor. obs. 2. n. 7.* etiam penes antiquos ἀνδροληψία frequentatam fuisse, ordinariô Magistratu homicidium, vel similis moneræ atrocitas delicta dignis pœnis persequi cessante.

LII.

*Finis* est vel primarius vel secundarius, ille est utilitas privata, seu commodum creditoris, ut scilicet suum recipiat, hic verò ne pereat justitia.

LIII.

Ita cogendo obtinetur, quod sollicitando non potest & dependenter reus ipsiusq; Magistratus, nullo mei tanquã forensis æstimio sui tamẽ civis amore moti justitiæ cedant, & ita pœnæ formidine metuant peccare, qui justitiæ amore moveri non potuère, *arg. l. capitalium 28. §. famosos. ff. de pœn. simulque edoceantur, mea ex jaçtura suam non locupletandam esse Rempubl. neque ex adversum me fraudulento ipsorum lucro bonis meis defrudandum esse, l. jure natura 206. de R. J. l. nam hoc. ff. de condict. indeb.*

De residuis in tractatu meo agitur plenius; jam igitur

Stet littore puppis!

---

Adjunctanea.

*An; quando populus Romanus per L. Regiam Imperium in Principem transtulit, intelligi hoc debeat cumulative, an abdicative factum? Aff. post.*

*An probanda consuetudo quorundam Regnorum & Provinciarum, ubi fœmina etiam non extantibus masculis ad sceptrum vocantur? Aff.*

F I N I S.